

belli negotium tractaret, seu curam corporis ageret, per diem & per noctem ambulans sedensque libros propè se voluit, Omnis eius de rebus altissimis sermo erat, & quod de Cæsare Augusto diximus, hic multo minore, & quasi nulla prorsus subsistente materia, diligentissime semper custodiuit, vt ingenia seculi sui complecteretur benignitate regia, & inuentiones nouas recitantibus, non tantum patientissimus auditor, sed plausor & humanissimus fautor assisteret. Hęc vita eius vsque sub extremum fuit, nihil vnquam puduit addiscere senem Philosophum & Regem, nil noctis quoque communicare piguit. Hoc intimum in ore habuit, discendo docendoque sapientem fieri, quanto denique literarum amore flagrauerit, vel vna vox eius indicat, quam ego meis auribus audiui. Dum enim die quodam multa colloquens ex me quæsisset: Cur tam serò eum visitassem? & ego ( id quod erat ) terræ marisque pericula, nec non & impedimenta fortunæ varia, traxisse votum meum dicerem: Incidit nescio quomodo Francorum Regis mentio, interrogante eo, Vnquam né in illius aula fuisset? respondi: nec vnquam qui-